

N. 66. 51.





ORATIO

MEMORIÆ FUNEBRI
VIRGINIS

Natalium & generosæ

familiæ splendore, veræ pietatis & vir-
tutum laudatissimarum nitore, morumq;

quibus perpauca illi erant com-
paranda, decore,

verè

NOBILISSIMÆ

MARGARITÆ à VVEIHE

*Tristissimo fato, die 13. Septembris Lu-
naburgæ pie beateq; defunctæ*

Scripta

à

FRANCISCO LYRMANO

Lunaburgensi.

WITEBERGÆ, Typis Johannis Richteri. An. 1615.



B I G Æ
Nobilissimorum Fratrum
Eminentissimæ

*Reverendo, Nobili ac Generoso Heroi
ac Domino, Domino*

JOHANNI VVILICHIO
à VVeihe, Illustris Cœnobij,
quod Lunæburgi est ad D. Michaëlem Prio-
ri longe dignissimo.

NEC NON

*Strenuo, generis splendore, autoritate, virtutibus,
modisq; omnibus Nobilissimo Viro*

Domino JOACHIMO à Weihe
Satrapæ in Neoburgâ, hære-
ditario in Botersheim & Hoya &c.

*Dominis Mæcenatibus, Energetis & Pa-
tronis suis, mortem hanc dulcissimæ suavissimæq;
sororis mæstissimo animolugentibus*

In

Christianæ *συνωδείας* testimonium,
Efficacis consolationis votum,
Debiti officii & gratitudinis symbolum

Oratiunculam hanc suam subiectissimo studio appropriat

Franciscus Lyrm an Lunæb.

ORATIO.

Siccine ergo & hoc restabat, ut altera illa, quâ sese splendidissima Wejorum familia recreabat & solabatur, quamq; intuens multarum sæpe, quas exceperat, acerbis memoriam deponebat, soror, virgo nobilissima, Margarita à Weihe inopportunâ & acerba satis morte abriperetur? O vanas hominum spes! ô consilia fallacia! ô ludibria infelicis miseræq; vitæ! ô bona fugacia & incerta! quæ cum in manibus habere arbitramur, cum ijsdem frui nos posse diutissimè speramus, derepentè avolant, & in medio quasi felicitatis cursu nos deserunt inhiantes. Tu Wejorum lumen ac columen Prior Reverende, heros nobilissime, cuius & in prosperis rebus spectata moderatio est, & in adversis animi magnitudo, in tanto casu cohibere dolorem non potes. Ah qui posses? Abstulit enim sororem (eheu!) avara mors: at quam? nobilissimam, dulcissimam, cuius præcipuè studio res familiaris ac tota ferè domus nitebatur tua, quæ multis te molestiis multarumq; rerum & curarum onere levabat, quæ valetudinem tuam præsentis semper officio tuebatur. At quo tempore? alienissimo, quo videlicet operâ suâ tibi, ah quid dico tibi? quo aliis, immo mihi cum primis futura erat usui. ô durum & acerbum fatum! ô miserum & luctuosum casum! Mortua est virgo nobilissima, si tamen illa mori potuit, quam præstans virtutum nobilium chorus ante obitum immortalis reddiderat. In his terris esse desiit, quæ singulari pietatis laude florebat, & spretis huius mundi voluptatibus

O R A T I O.

mentis suæ notionem à rerum externarum cogitatione abductam in Christum defigebat. Extincta est, quæ nobilissimis fratribus ac sororibus, imo egentibus omnibus, seipsam impendebat, eisq; solatio erat semper. Certè hoc misero casu non commoveri, non lugere, non ingemiscere, beluinæ, cuiusdam foret aut barbaricæ immanitatis. Verùm si modus in rebus, si certi deniq; fines sunt; modus etiam huic luctui statuendus fuerit: modus nimirum qui in divini numinis nutu & voluntate placidè acquiescit. Nam licet corpus eius Sarcophago contentum esse cogatur; optima tamen sui parte vivere ipsam scimus, atq; credimus. Ita enim hisce in terris degebat vitam, ut nunc æternitate & immortalitate cumuletur anima; quæ hæc inferiora despiciens & omnium, quibus in hoc vitæ ergastulo nos expositos scimus, ærumnarum expers perpetuis gaudiis fruitur. Quin & post funera in terris superstes erit, sanctèq; memoria eius coletur, quam diu gloria stirpis durabit hoc est, mundi constabit machina. Et hîc erunt, qui laudes huius virginis pleno ore decantabunt, & quibus major vis ac copia illas exornandi, quam mihi enarrandi. Nam & indicendo, quàm parum vel usu vel ingenio possim, mihi ipse sum testis. Et tamen siquid, quod quam exiguum sit sentio, possem, ita me hoc tempore deficerent illa, ut nescirem, an diligentia imparatior ad dicendum accederem an à natura. Quod enim interdum usu venire accepimus, ut in repentino animi motu omnes vires subitò percussæ obstupescant: itidem mihi accidit, quem mors inopinata virginis huius piè defunctæ sic percus-

percus-

ORATIO.

percussit, ut offusa animo meo doloris caligo, studium industriamq; meam fregerit, ac debilitarit. Ita, inquam, fit, ut quantum studii addicendum erga hanc virginem affectio debita mihi affert, tantum dolor detrahat, qui frangere & debilitare etiam exercitissimos potest. Quocirca cum has partes ab aliis, quibus major copia & facultas dicendi feliciter susceptas non ignorem, facile etiam hoc munere supersedere possem: nisi me officii mei ratio, ad motis quasi stimulis, sic incitasset, ut munus hoc sine scelere prætermittere vix viderer. Occurrebant enim denatæ virginis huius, totiusq; nobilissimæ familiæ plenâ & prolixâ manu in me collata, quæ voce aut calamo non exprimo, animo metiri ac complecti cogor, beneficia, pro quibus si non gratas rependerem gratias, monstrum sim hominis & ab humanitate alienus. Cum igitur & hanc extremam gratiam debere me huic virgini confitear, malo nimis fortasse officiosus, quàm planè ingratus videri. Et quia orationem meam in consolando potissimum versari suscepti muneris provincia postulat; operæ me facturum pretium confido, si quomodo mortis acerbitatem effugiendo nos ipsos in mortis agone constitutos divinâ consolatione erigere, aliosq; quos Deus ex hac vita è numero vel amicorum vel sanguine nobis junctorum in cælestem patriam avocat, non lugere; sed de futurâ felicitate ipsis potius gratulari debeamus, breviter ostendero. Deus optime vitæ dux maxime, adesto quæso nobis Spiritus tui S. gratia, ut ea proferamus, quæ in tanto hoc mœrore jam constitu-

ORATIO.

tos vera consolatione implere & beatissimè defunctæ meritis aliqua ex parte respondere possint.

*Plato in
Phædone.*

Platonis illam Philosophiæ definitionem, qua meditationem mortis eam proclamat, si Theosophiæ sano sensu accommodare velis, feceris id, non invita, (ut opinor) veritate, cum cardo salutis nostræ præter cætera mortis meditationem includat.

*2. Tim. 2.
v. 8.*

Mortis autem Meditatione intelligo hîc tum Christi, tum nostræ mortis contemplationem. Mortis Christi cogitatio ex animo nunquam effluat nostro, cuius morte peccatorum nostrorum facta est expiatio, Satanæ potentiæ destructio, & terrorum, qui in morte obversari solent, levatio atq; averfio. Hinc gentium doctor, memento, ajebat ad Timotheum, Jesum Christum resurrexisse à mortuis. Sed nec mortis nostræ cogitatio recedere debet à memoria nostra.

*Hebr. 9.
v. 27.*

*Sen. Ep.
32.*

Quemadmodum enim singulis horis ac momentis mors nobis impendet (statutum enim est semel omnibus hominibus mori) Ita vicissim & nos singulis eam diebus expectemus. Sic vive, inquit gravissimus autor Seneca, quasi semper moriturus sis; sic morere, quasi semper victurus. Doce nos Domine, orat Moses, numerare dies nostros, ut applicemus cor ad sapientiam. Quod si ullo, certè extremo hoc vitæ tempore, quo Diabolus adversarius salutis nostræ infensissimus nobis insidiatur, vitæq; æternæ possessionem maximis viribus excutere conatur, utile cum primis erit & summopere necessarium. Hinc etenim variæ illæ tentationes, quibus velut arietibus cor nostrum in morbis & mortis agone oppugnat: Hinc ignita illa tela, quæ

ORATIO.

la, quæ totis contra nos ejaculatur viribus: hinc ille horror & terror, quo ante mortis portas constitutos percutit. Beatus, qui hic vicerit, beatus qui fidelis ad finem vitæ permanserit! Is in militum pro Christi nomine fortiter militantium cooptabitur numerum. Quocirca ad extremum hunc agona animū præparare ac præmunire debemus, quo placidè in hâc vita exspirare, inq; cælestem migrare possimus. Atq; hîc illi quidem, qui Christi luce non perfusi, sed tetro gentilium errore circumfusi fuere, mortis acerbicatem propellere ac propulsare voluerunt, his tribus quasi adhibitis remediis, mortis nimirum necessitate, morientium societate, mortis brevitatem. Sed ô miseros consolatores! ô flebilis solatia! Mortis enim necessitas non minuit, sed imprimis auget dolorem. Quocirca & Anaxagoras liberos deplorans suos, hoc magis, agebat, me excruciat, quod necessitati obtemperandum. Sic nec morientium societas tollit aut molit dolorem. Ecquid enim hoc solatii pareret, scire hunc vel illum diem suum obiisse? Quid dolorem esse brevem juvat? Parum sanè. Post mortem enim secuta est illos damnatio. Unde factum, ut gentiles vitam suam miserrimo exitu concluderint, quemadmodum de Turno Poëtarum princeps Maro retulit:

Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras.
 Nos verò non ad gentilium errorem instituti; sed verbo Dei imbuti scimus & probè scimus, Christum esse vitæ ducem & mortis victorem ac destructorem. In hunc ergo qui credit, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & omnis qui vivit & credit in eum non morietur in æternum.

*Anaxago-
ras.*

*Virg. 12.
Æneid.*

*Ioh. 11.
v. 26.*

ORATIO.

Iob. 8. v. 51

*Cic. ad-
quir.*

*Dan. 5.
v. 5. 6.*

ternum. Huius sermonem qui servat, ut idem omnis veritatis fons unicuique afferit, mortem non videbit. Sed ut facilius hæc perpendere queas, explicato quasi indigitos pugno, primum mortis amaritudinem, & truculentam speciem, quæ ut plurimum terremur; tum medicamenta, quæ eam avertere queant, simul adjiciam & consideranda proponam. Ac primo quidem in lecto decumbenti ac morti jam proximo acerba nimis mors apparere solet, objiciens ei *bonorum temporalium amissionem*. Dum enim videt relinquendum esse hunc mundum, quo nihil ornatius; relinquendum rem familiarem, opes, divitias, agrum, fundos, quibus nil delectabilius: dignitatem ac honorem, quo nihil clarius, nihil illustrius: Relinquendam denique uxorem, qua nihil carius; liberos, quibus nihil dulcius; amicos ac fratres, quibus nihil jucundius: Hæc inquam dum videt & subinde secum mente altâ revolvit, vehementer dolet, angitur, nec luctu ac plangore affectionibus suis satisfacere potest. Quâto enim magis his oblectatus fuerit in vita, tanto magis etiam anxietate torquetur in agone, dum his post se relictis, atroci vocis sono luctum sibi augere & in verba hæc novissima prorumpere cogitur: vale Sol & Luna, quæ mihi lucem subministrastis ad solatium. Vale terra, quæ vinum & panem mihi dedisti ad nutrimentum. Valeat dignitas & honor, quæ in vita me clarum & illustrem fecerunt; valeat domus, ager, fundus, pecunia, quæ me hucusque delectarunt. Valet, conjux charissima, liberi dulcissimi, amici jucundissimi. Cuius rei expressum habemus, vivumque in rege Balthasaro exemplar. Egressis enim

enim

O R A T I O.

enim aliquando è pariete manus hominis digitis, & verba quædam exarantibus, faciem eius esse mutatam, cogitationesq; turbasse eum, & cingulum eius lumborum solutum atq; genua eius alterum ad alterum collisa, sacra volumina attestantur. Rectè ergo Siracides, ô mors, exclamat, quàm acerba es, quàm amara memoria tua homini quietè viventi in bonis suis, homini omni curâ ac sollicitudine vacuo ac per omnia felici. His verò acerbitatibus præstantissimum succurrit remedium, quod *bonorum amissionum restitutionem* indigito. Quando enim animus inferiora & sublunaria hæc despiciens, quàm omnia terrestria fugacia sint & inania; cælestia autem firma, stabilia, perpetua, altiori mentis indagine secum reputat, non potest non amaritudinem hanc effugere & cum regum sapientissimo, quod vanitas sit vanitatum, & omnia vanitas, exclamare. Miseriam enim & afflictionem nullamq; utilitatem sub sole esse rex idem docebat, & propterea tædebat etiam vitæ ipsum videntem mala universa esse sub sole. At in alterâ cælesti illâ ac perpetua vita, quando Deus novos cælos & novam terram creabit, non memorabuntur priores, sed gaudebunt pii atq; exultabunt in seculum seculi. Erit ibi amænitas vernalis; Immarcescibilis enim decor oculos delectabit: Lux æstivalis, Erit enim lux lunæ sicut lux Solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum: Erit ubertas autumnalis; Nam promptuaria erunt omnium bonorum plenissima. Erit quies hyemalis. Manebit enim populus meus in mansione placida sedibusq; tutis & stationibus quietis. In hanc igitur vi-

B

tam

Sir. 41.

v. 1.

Ecles. 12

v. 8.

Cap. 2.

v. 14.

v. 17.

Es. 65.

v. 17, 18.

Ans:

Es. 30.

v. 26.

Es. 32.

v. 18.

ORATIO.

Chrysoſt.

Pſ. 27. v. 13.

Gen. 15.

v. 1.

Levit. 20.

v. 24.

Pſ. 81. v. 6.

Apoc. 2.

v. 10.

2. Cor. 4.

v. 8.

tam amore quicunq; sunt accensi, apud illos postea etiam illa fluxarum ac caducarum opum sitis facile extinguetur. Scitè Chrysoſtomus ait: Omnia, quæ in præſenti vitâ habemus, licèt magna videantur & plurima; comparatione tamen futurorum pauca sunt & parva. In futura enim vitâ Deus sua dona in piis coronabit non caduca, sed æterna; non humana sed divina; non terrestria sed cœlestia: tanta bona, quæ non fur surripere, tyrannus evertere, fortuna dimovere ac labefactare potest. Ibi videbimus Domini bona in terra viventium videbimus copiosissimam divitiarum affluentiam, Merces enim nostra Deus erit per magna; deliciarum influentiam. Dabit enim Deus nobis terram fluentem lacte & melle: Summam bonorum omnium confluentiam. Gloria enim & honore nos coronabit. Proinde licèt de dignitate, ad quam fortuna nos evexit, à gloria & laude, ad quam virtus nos extulit, ab honore, quem populus nobis tribuit, sit descendendum; sciamus tamen repositam esse in cœlis coronam vitæ, coronam illam justitiæ, quam reddet nobis Dominus in illo die justus iudex; non autem nobis duntaxat; sed & omnibus, qui expetierint illustrem ipsius adventum. At verò à patriæ laribus avelleris? à complexu conjugis abriperis? ab amicâ conversatione tuorum intimorum & familiarium abstraheris? Nil inde tibi damni eveniet. Scito enim & certò statue nos in hâc vitâ veram non habere patriam. Commorandi enim nobis diversorium, non habitandi domicilium Deus dedit. Nec conjugem ac amicos amittes;

ORATIO.

mittes; sed die novissimo, die illo rationis & iudicii, manibus tuis Christus illos restituet. Et tu interea amicam angelorum & Patriarcharum, quibus associaberis, consuetudine perfrueris. Quis jam peregre constitutus non properaret in patriam regredi? Quis ad suos navigare festinans, ventum optatum cupidius non optaret, ut charos liceret amplecti? Nunc patriam nostram, Patriarchas nostros, amicam societatem angelorum & omnium beatorum in caelis habemus. Nonne ergo properabimus, non curremus, ut patriam nostram videre, ut charos complexu excipere queamus? Paucis dicam omnia, si primam mortis acerbitatem, quae ex temporalium bonorum amissione oritur, expulsam velis; hoc age: Christo firmiter adhære: Hic tibi omnia, quae hac in vita amisisti, bona magno cum faenore affatim reddet, gratuitisque in Coelo praemiis te donabit, coronabit:

Fiat ita, haec summa est, hic nostri nuncius esto.

Secundo morientium oculis haud raro obversari solet totius *hominis destructio & corporis membrorum dilaceratio*, ad cuius recordationem non aliter exalbescunt, quam ad crucem fures, ad securim majestatis violatores, ad carceres legum perturbatores. Unde omnium terribilium terribilissimum mortem nominavit Philosophorum princeps Aristoteles. Nam & bruta animalia non sine gemitu & fremitu ultimum emittunt spiritum. Ut interim de homine taceam, qui ad imaginem Dei est efformatus, & anima rationali praeditus qua

O R A T I O.

& semetipsum potest cognoscere, bonum expetere,
 malum averfari, virtutem colere, vitia vitare. Corpus
 quoq; illius mirabili sapientiâ est exadificatum; quip-
 pe cuius caput est veluti cælum terre: cuius cor
 domicilium DEI: cuius manus subigere possunt to-
 tum mundum: cuius pedes terræ possessionem custo-
 diunt: cuius oculi debent spectare divinitatis vestigia,
 quæ architectus Optimus Maximus omnibus omni-
 nò creaturis impressit; unde & homo *μικρόκοσμος* &
 centrum omnium creaturarum jure optimo vocatur.
 At verò inter has partes cum intercedat unio non le-
 viuscula aliqua, sed arctissima & conferruminata,
 quæ mutua *ἁπλοῦς* est conjuncta; partes hasce à se
 invicem sine magno, illoq; intensissimo dolore divel-
 li, discerpi, distrahi posse, quis putet? Nemo profectò.
 Omnia enim membra, animâ è corporis domicilio e-
 grediente, deficiunt, mærent angore, & horrore con-
 cutiuntur. Vultus maculatur palore, oculi subruptis
 venulis subsidunt in caput, dentes suffusi nigredine
 fatiscunt, aures obsurdescunt, lingua obrigescit, cor-
 pus totum maculis squallet, totumq;, tanquam disso-
 luta compages, in cineres redigitur. O mors quàm a-
 cerba es, quàm ingrata memoria tua! Ezechias rex
 quidem erat piissimus & fortitudinis laude insignis.
 Hic tamen, postquam Esaias venit ad illum mortem
 ei denuncians: Heu quàm miserabiliter ploravit & la-
 mentatus est, quàmq; gravibus verbis & dolorem spi-
 rantibus fatorū iniquitatem accusavit! Quod cum ita
 se habeat, ante omnia cōportare, matureq; conquirere
nos

ORATIO.

nos oportet remedium, quo acerbitatibus hujusmodi obviam iri queat. Sed quod illud? *Est omnium dolorum per Christum in caelis recreatio.* Quicumq; enim aliam post hanc fore vitam certo credunt, & praesentium malorum finem sperant, horribili hac mortis larva non terrentur. In Christum enim qui credit, mortem non videbit, quippe qui iram divinam in se suscepit & à nobis amolitus est. Mitte jam lignum crucis, in quo Christus pro nobis mortuus est, in mortem tuam, & ecce erit illud placidus somnus. Ac licet acerbitatis gustus è calice mortis offeratur, quantum quæso illud est respectu illius torrentis, de quo Christus in viâ hujus vitæ propter nos bibit? quanti haustulus ille aestimâdus respectu calicis illius, quem nostri loco cælestis pater Christo exhauriendû totum obtulit? Quocirca mortis terrore non est ut percutiamur. Viator fessus gaudet, cum videt asperum & lubricum iter suum se esse emensum: operæ rusticæ, quæ graves sunt ac molestæ, cum desiderio finem laboris & messis expectant. Homo curis & laboribus maceratus & tatum non non consumptus somno quasi it obviâ; nos mortem, quæ janua est vitæ, finis laborum, introitus messis & somnus dulcissimus, reformidabimus? Præsertim cum illorû, quæ in hac vitâ, calamitosâ sanè ac luctuosâ possederimus, non jacturam simus facturi, sed fœnore magno illa recepturi! Anima enim nostra, quæ ob lapsum hisce in terris donis suis erat privata, in futura vitâ dotibus divinis præfulgebit decorata. In mente lucebit lux divinæ agnitionis & sapientiæ: in voluntate conformitas plena cum lege Dei: in corde rectitu-

Joh. 8. v. 51.

Ps. 110. v. 7.

ORATIO

Matth. 13.
ver. 43.
Esa. 4. v.
ult.
Esa 25. v. 8.

Rom. 8. v.
18.

do omnium affectuum & animæ virium. Erit homo vivum sapientiæ, bonitatis, caritatis, justitiæ, sanctitatis, puritatis divinæ speculum. Nec minus corpus ornamentis etiam suis decorabitur. In illo enim videbimus claritatis pulchritudinem. Nam justi fulgebunt, ut sol in regno patris sui: Agilitatis promptitudinem: Nam pennas assumunt ut aquilæ, current & non lassabuntur, ambulabunt & non fatigabuntur: Omnium deniq; membrorum fortitudinem. Nam perdet mortem Dominus Jehovah in sempiternum. Collata cum illis pulchritudo Absolonis hic erit deformitas: Azaëlis agilitas erit claudicatio: Samsonis fortitudo debilitas: Salomonis sapientia stoliditas: Assveri divitiæ mendicitas. Quod cum ita se habeat, memores semper simus aureoli istius ab Apostolo prolati, quod sanè dignum, ut cubitalibus literis descriptum ad parietes proponatur, ut semper legi imò & servari possit. Quod nam verò istud? Non statuo, inquit, pares esse afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ erga nos revelabitur. Pergo nunc ad illud, quod proposueram, cum essem de mortis amaritudine pellendâ dicturus, extremum, tibi, ô homo! si quid sapiis primum, in quo non temporalis, sed æternæ beatitudinis cardo vetitur. Hic enim nisi tibi prospexeris, animumq; bene obfirmaris, in portum vitæ non appelles, sed ad scopulos delatus inferni portas adibis. Quænam, inquis, illa Charibdis? Dicam. *Est Satana in extremo agone tentatio*, qui hominem horribili sua specie perterrefactum ad desperationem adigere, ad motis quasi machinis, conatur, insidias ei struens fuscina tricuspile suâ, dum

oculis

ORATIO

oculis & menti objicit peccatorum atrocitatem legis divinæ accusationem, judicij extremi rigorem. Non enim, inquit, in peccatis solum genitus es & natus; Sed hanc originalis & hæreditarij debiti summam varijs peccatorum multiplicium & gravissimorum debitis, per totum vitæ cursum auxisti. Quomodo autem poteris sperare Deum fore tibi propitium, quem toties peccatis tuis pondere gravissimis, numero innumeris, merito damnabilibus offendisti? Cumq; stipendiū peccati mors sit, non quidem hæc temporalis; sed illa quæ nullis seculorū seculis terminanda, præterea quia opera tua legi Dei (quæ regula est immota justitiæ divinæ, omniaq; damnat, quæ sibi non sunt conformia) satisfacere non possunt; Qua facie comparere te posse in judicio illo extremo putas? Nam veniet, veniet dies judicij & rationis reddendæ, quo coram tribunali altissimi sisteris & non modò de factis; sed & dictis cogitatisq; respondendum erit. Quid tunc prætendes, qui solis voluptatibus oblectatus peccatorum cæno te voluisti? ô quam angustæ erunt tibi undiq; viæ! Suprà erit iudex iratus, infra horrendum inferni chaos; à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, ad supplicia trahentia: intus conscientia urens, foris ignis ardens. Miser peccator quo effugies? Apparere erit intolerabile, latere impossibile. Nemo poterit judicis potestatem effugere, Sipientiam fallere, justitiam flectere, judicium retractare. Hæc sunt ignita illa tela, quæ totis contra nos Diabolus ejaculatur viribus! Hinc ille horror & terror, quem morti proximi persentiscunt! ô igitur
mors

Rom. 6. v.

23.

ORATIO

Eph. 6.

ver. 17.

Exod. 7.

I. Sam. 17.

Iud. 7.

I. Ioh. 1. v. 8

Matt. 20.

ver. 28.

Esa. 53. v. 7.

Ioh. 1. v. 29.

Matth. 11.

ver. 28.

mors, quàm acerba es, quàm ingrata memoria tua! Sed ut tela hæc Satanae ignita excutere valeamus, agendum gladium arripiamus, quem Apostolus ex armamentario cœlesti depromptum offert. At quis ille? Num Mosis baculus, qui devoravit serpentes magorū? minimè. Num Davidis funda & lapides, quibus Gigas ille provocator percussus est? nequaquam. Num asini maxilla, qua magnus ille Simson magnam hominum stragem edidit: Neutiquam. Quis igitur? verbum Dei. Hoc arripe & jacula ignita Diaboli facilè poteris extinguere. In hoc enim verbo Christum invenies, qui *nostra est portio*. Ille ex augustissimo majestatis suæ fastigio delapsus pro peccatis nostris sanguinem suum profudit. Ille cum rerum omnium esset dominus, servus factus est, ut nos in libertatem assereret. Non enim venit, ut in serviri sibi vellet; sed ut ipse serviret, & daret animam suam precium pro peccatis multorum. Ille flagellis est concisus, spinis coronatus, omni suppliciorum genere divexatus, & velut agnus, ad mactationem deductus, mortem pro expiandis nostris delictis adire non refugit. Nam agnus ille est Dei tollens peccata mundi. Ille etiam per verbum ad se nos vocat. Quis vocat? redemptor. Quos? captivos: Quis vocat? Medicus. Quos? ægrotos: Quis vocat? via. quos? errantes: Justitia peccatores, benedictio maledictos, salus damnatos, lux cæcos, vita mortuos. O ingens Dei beneficium! ô vocem verè jucundam & lætabilem. Cum igitur Christus nos vocet, cum tam amanter invitet, cum tam benignè refocillationem peccatoribus promittat: Quis ei non occur-

rat,

ORATIO.

rat, delictorum veniam petat, consolationem arripiat, hauriat? Deinde si legis telum in nos armare aut exerere videtur Diabolus; agite ad Christum iterum, tanquam ad firmum clypeum & propugnaculum confugite. Ille enim legi Dei se subjecit, ut nos, qui sub lege eramus, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Nos quidem legem implere omnibus etiam viribus annexi non poteramus. Gravis enim sunt Mosis manus & jugum legis importabile; At quod lex à nobis requirebat, Christum pro nobis præstitisse Evangelium nunciat. Radiat quidem Mosis facies, ita ut nos illum aspicere non possimus; Sed Christus, DEI filius, DEUS ipse carnem nostram assumpsit & homo factus est, ut nostri causa legem impleret. Gravis & difficilis est Mosis lingua, auscultare & verbis eius obsequi non possumus; At Christo docta est & blandiloqua lingua, quâ justo tempore novit cum peccatoribus loqui. Nam ille legis rigorem mitius interpretatur & lætam Evangelii vocem annunciat. Tabulæ Mosis lapideæ sunt, quæ cor conterunt nostrum; Sed Christus est optimus medicus, qui corda nostra sanat. In terram promissam non introduxit populum Israëliticum Moses, sed Josua: ita non Moses, sed cælestis Josua, Christus Jesus ad vitam æternam nos deducit. Sic ergo, sic, inquam, legem intueri potes, imò debes, quisquis acerbitates mortis superare satagis, non ut cordis tui tabulis inscripta, sed ut per Christum impleta est & cruci affixa. Tandem noli trepidare, te in extremodie censorio iri confusum in judicio. Nam quia verbum audis Christi, eiq; credis, non venies in

C
judi-

Gal. 4.
v. 4.

Rom. 7.
v. 22.

Ex. 17.
v. 12.

Rom. 3.
v. 31.

Ex. 3.
v. 29.

Ex. 4.
v. 10.

Ex. 24.
v. 12.

Iob. 5.
v. 24.

ORATIO.

1. *Theff.* 1.
v. 10.

Apoc. 19.
v. 7.

Gen. 13.
1. *Sam.* 17.

judicium, caussa tua non discutietur in rigido illo judicii examine. Siquidem Christus liberavit omnes in se credentes à venturâ ira. Formidandus quidem judicii dies malis propter pœnam; sed amandus piis propter gloriam: Illis erit dies vindictæ & iræ; his erit dies remunerationis & gratiæ. Et quid mortem reformidamus? Christus erit peccatorum nostrorum judex, qui pro peccatis satisfecit. Et quia nos, cum eius inimici essemus, dilexit, cur jam reconciliatos abjiciat? Eo enim tempore, quo nobis debuit infligere pœnam, obtulit gratiam: Eo tempore, quo poterat nos percutere fulmine maledictionum, benedictione nos donavit: Eo tempore quo nos poterat, imo debebat, damnare, salvavit. Ὁ Φιλανθρωπία, ὁ summa dilectio! An nos in judicio æterno repudiabit? Minimè. Nam nobis tanquam sponsus desponsatæ sponsæ suæ, eam ut introducat in cælestes nuptias, apparebit. Quis ergo terrori aut timori poterit esse locus? Christus nos liberabit illo die à misera peccati & mortis captivitate & in veram libertatem adferet. Liberabit nos à malorum mole & peccatorum pondere eruet. Liberabit nos ab assiduâ carnis & spiritus luctâ & conflictu. Quis ergo non gaudebit, non lætabitur? Jacob multos labores exantlavit, donec Rachaële potiretur: David quoq; magna pericula adiit, antequam cum regis filia faceret nuptias; nos sponso nostro venienti non obviam læto vultu, faustis cum acclamationibus procedemus, eiusq; caussa molestias, si qua fuerint & acerbitates devorare volumus? Nam si Epaminondas Thebanorum ille dux vigilantissimus, gravissimo vulnere prope-

O R A T I O.

propemodum enectus, hilari admodum & magno animo mortem oppetiit, propterea quòd tum clypeus adhuc saluus, tum hostes maximam partem fusi essent: cur non multo magis nos Christi milites magno cum gaudio ex hac ærumnarum valle migremus, cū sciamus quod fides, clypeus ille noster sit incolumis, ac hostes prostrati & penitus devicti? Quemadmodū igitur Patriarcha Jacobus, cū filium suum Josephum adhuc vivere & dominari in Ægypto, audiret, læto animo dixit: Sufficit, adhuc filius meus vivit; ibo & videbo eum, antequam moriar: Ita & nos cum sciamus Josephum fratrem nostrum, Christum Jesum in cœlis vivere, ac regnare in cœlis, nosq; ad æternam requiem & æterna gaudia se suscepturum sanctè promississe, relictis hujus vitæ miserijs ad beatam vitam suspirantes exclamemus: Sufficit jam, sufficit multos in terris exantlasse labores; agite properabimus & ibimus in cœlestem patriam, ibimus & videbimus fratrem nostrum, Sponsum nostrum, Christum Jesum, cumq; eò sempiternis perfruemur gaudijs, gaudijs illis, quæ pijs ab ipso sunt præparata, quæ spe non attinguntur, caritate non comprehenduntur, desideria & vota transgrediuntur: acquiri possunt, æstimari non possunt: Hac felix illa est æternitas, & æterna felicitas, quam nulla turbare potest calamitas. Atq; adhuc vitæ cœlestis gaudia cum illam, cujus mortem jam lugemus, virginem omnibus modis nobilissimam MARGARITAM à Weihe, esse translata omnino non dubitamus; nihil causæ erit, cur tam gravidolori immoremur, ut luctu prope contabescamus & opprimamur.

Gen. 45.
v. 28.

C 2

Deo

O R A T I O.

Deo enim, in cuius manu longitudo dierum, quoniam ita visum, in eius voluntate placidè est acquiescendum. Optandum certè quidem fuisset, ut longiores ipsi obtigissent dies. Nam Nestoreos vivere propter eximias virtutes digna erat. Quarum cum alii futuri sint pracones, quid illas attinet sigillatim recenseri? Etenim si enumerare illas vellem, in immensum campum me immitterem. Tantus enim est chorus virtutum eius, ut iis amplificandis & pro merito exornandis & deprædicandis vix Homerus aliquis sufficiat. Quam enim famæ elegantiam, moribus & vitæ honestate, quibus per paucis erat comparanda, fuerit conspicua & decorata: quam fide nobilissimos fratres & sorores suas multis molestiis sæpe levavit & illorum valetudinem curavit: quanta liberalitate egenis, quorum non pauci illius iuvandi studium sunt experti, subvenerit: quam denique celeritate aliorum negotia, tum intercedendo tum commendando expediverit, res ipsa clamitat & experientia, vel me tacente, abundè satis testatur. Has verò virtutes insigniores fecit pietas vera, diligens verbi divini auscultatio, lectio & meditatio, precesque ardentissimæ. Non enim animus eius erat terrestribus affixus, sed caelestia, ubi Christus est, quærebat & anhelabat. Cumque nosset se æquè atque alii homines mortali lege creatam esse, mortique obnoxiam; semper illius meminit & ad eam sedulo se præparavit: Huiusque suæ præparationis mentionem sæpe fecit, non tristem, sed spiritualis gaudii plenam. Videbitis (aiebat sæpe ad domesticos) non diu mortem à me abfuturam. Quocirca etiam ad *εὐθανασία* se præparavit, eamque à Deo assiduis efflagitavit gemitibus,

ORATIO.

bus, ac tandem voti compos facta, 13. die Septembris inter preces ardentissimas beatè exspiravit & in Christo obdormiendo, ac corpus in sinum terræ omnium matris inferendum relinquendo, ex hâc miseriarum & lachrymarum valle in cœlestem paradisum vitamq; spirituales placidè emigravit. De qua felicitate nos tibi, Beatissima virgo, gratulamur. Novimus enim nihil adversi, nihil exitiosi tibi accidisse, sed beatissimam conditionem intelligimus esse tuam, quippe cum è tot ac tam gravibus curis, tot laboribus, tot molestijs, tot periculis, in æternam requiem, in domicilium cœleste, ac beatorum sedem te translata, imò receptam, sciamus. Transijsti enim, ut cum Bernharo loquar, de labore ad refrigerium, de expectatione ad pretium, de agone ad brabeum, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad quietem, de mundi hujus exilio, ad cœlestem ac æternum permanentem patriam. Nos interea Deum rogamus, ut dulcissimos fratres gravi mœrore propè deficientes, cum suavissimis sororibus, spiritu consolationis & lætitiæ erigat, confirmet, roboret, totamq; Weiorum familiam nobilissimam in acerbissimo hoc luctu constitutã recreare, ab omni detrimento & incommodo clementer tueri, & quam diutissime florentem conservare dignetur. Tu vero virgo nobilissima, modis omnibus beatissima, votis ac faustis acclamationibus nobis prosequenda, non fletu aut gemitu contaminãda extremum salve, & cum Deo seculis vive nunquam terminandis:

D I X I.


C 3

Prolo-



PROSOPOPÆIA

Defunctæ ad fratres ac sorores.



*Arcite jam lachrymis, fratres mœstæq; sorores,
Non revocant animas vota precesq; pias.*

*Cum suprema dies nos funere mersit acerbo
Non exoratâ stat via clausa serâ.*

*Viximus! hic omnes unus manet exitus: omnes
Extremam mortis cogimur ire viam.*

Est etenim mortale genus fragile atq; caducum,

Manè viget lætum: vespere triste cadit.

Irriguis veluti vernans amaranthus in hortis

Florenti pulchræ gaudet honore comæ.

At rapido exhaustus ferventis lumine Phœbi,

Ex nimia languens ariditate perit.

Sic homines etiam juvenili tempore florent,

Et capiunt vitæ gaudia prima sua.

Post morbi subeunt, post inclementia mortis

V. q; perit subita frigoris omne decus.

Non tumido parcit regi, non parcit egeno:

Omnia sub rigidum mors vocat atra jugum.

Non hæc virtuti, non summo parcit honori,

Omnibus obscuras injicit atra manus.

Ergo quid immenso juvat indulgere dolori,

Cum vel momento quelibet aucta cadant.

Et cur desletis mœsto mea funera luctu,

Cum mihi pro damno cesserit inde lucrum.

Non me amisistis, sed pramissistis ad astra,

Non tristes umbra me, sed olympus habet.

Sum translata velut rapidis ex æquoris undis

In queis plena dolis omnia plena malis;

Letitia


*Latitæ ad portum veni & commercia cæli,
 In quo cuncta bonis undiq; plena patent.
 Hæc inter superos ullo sine fine resurgit,
 Mixta salute quies, mixta quiete salus.
 O bene mutavi! fertita palatia cæli,
 Alius humanas despicio inde vices.
 O cecidit bona fors mihi! mundi è carcere dempta
 Æterna cæli prosperitate fruor.
 Siste nunc lacrymas fratres mœstæq; sorores,
 Ne sic, ne vestras commaculate genas.
 Crescat in adstetis, æquum est, patientia rebus,
 In tali certus sit pietate modus.
 Nam nil morte mea amisi, nisi debita morti;
 Et fama immundo est, æthere parta salus.
 Tu quoq; dulce caput, Weiorum gloria magna
 Et Bilingiacæ fida columna domus.
 Adde modum lacrymis, mihiq; hæc fatalia perfer,
 Non obij, ast abij, luctibus adde modum.
 Me non mœror habet, me nulla pericla molestant,
 Incola sum cæli, luctibus adde modum.
 Immundum mundum, terrenaq; tecta reliqui,
 Ingrediens vitam: luctibus adde modum.
 Vera tibi sanctum monstrat solatia numen,
 Oro, gravi pressum corq; dolore levet:
 Quod rapuit mihi parca tuos hoc addat ad annos,
 Et faciet tangunt si pia vota Deum:
 Ac suprema tibi cum mortis venerit hora
 Cælorum Christus det quoq; regna, precor,
 In quæ nos iterum sociabit trina potestas;
 Improbæ mors quos jam dissociavit humo.
 Et nobis dabitur divorum in sede locatis,
 Nil nisi de divitijs latitijsq; frui.*




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly obscured by the paper's texture and discoloration.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or a date, also appearing to be bleed-through.








F 5202


● X 2614202

VO 17

[Handwritten signature]







ORATIO
MEMORIÆ FUNEBRI
VIRGINIS
Natalium & generosæ
familix splendore, veræ pietatis & vir-
tutum laudatissimarum nitore, morumq;
quibus perpauca illi erant com-
paranda, decore,
verè
NOBILISSIMÆ
MARGARITÆ à VVEIHE
*Tristissimo fato, die 13. Septembris Lu-
naburgæ pie beateq; defunctæ*
Scripta
à
FRANCISCO LYRMANO
Lunaburgensi.
WITEBERGÆ, Typis Johannis Richteri. An. 1615.